



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. An aliquando à Presbyteris?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacramento Confirm. Cap. II. 117

Reverà, ut dicitur Actuum Apostolorum cap. 8. Cùm audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent; oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum. Episcopi autem sunt successores Apostolorum, non autem Sacerdotes.

Quaest. 5. Quare hoc Sacramentum à solis Episcopis conferri potest?

Resp. Ratio Divi Thomæ sumitur ex hujus Sacramenti dignitate. Dicendum, ait, quod *D. Th. 3. p. q. 72. art. II. in corpore*
in quolibet opere ultima consummatio suprema arti, aut virtuti reservatur; hoc autem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti Baptismi: ita scilicet quòd per Baptismum edificatur homo in domum spiritualem; & conscribitur quasi quadam Spiritualis Epistola. Sed per Sacramentum Confirmationis quasi domus edificata in templum Spiritus-sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo Crucis; & ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur qui obtinent summam potestatem in Ecclesia: Sicut & in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus-sancti dabatur, ut habetur. Act. 8. Vnde Urbanus Papa dicit. Can. Omnes. De Consecr. dist. 5. Omnes Fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum-sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.

Quaest. 6. Potest-ne aliquando licere Presbyteris administrare Sacramentum Confirmationis?

Resp. Id speciali commissione summi Pon-

S. Greg. lib.
3. Epistola
26.

tificis fieri posse videtur, ut patet ex Divo Gregorio, qui scribens ad Januarium Episcopum ait: *Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostra Ecclesia fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

D. Th. q. 72.
art. 11. ad 1.

Hoc autem, ut ait Divus Thomas: Ex plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.

Refertur etiam in Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino. *Per Apostolica sedis dispensationem ex rationabili & urgenti admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

CAPUT III.

*De Dispositionibus ad Confirmationem
& de ejus effectibus.*

Quaest. 1. **Q**UID agendum est à Parochis, cum mandatum acceperunt ab Episcopo preparandi sibi subditos, ad Confirmationem suscipiendam?

S. Carolus
Act. p. 1. tit.
Quæ perti-
nent ad Sa-
cram. Con-
firm.

Resp. Ex sancto Carolo: *Parochi, animarumve Curatores populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit Confirmationis Sacramentum cujus ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet. Videant item, ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare pra-*